

verita te? Disce, sacerdos atque Levita, quid sit lavare vestimenta tua, ut mundum corpus celebrandis exhibeas sacramentis. Si populus sine ablutione vestimentorum suorum prohibebatur accedere ad hostiam suam, tu illotus mente pariter et corpore, audes pro aliis supplicare, audes pro aliis ministrare? Non mediocre officium levitarum, de quibus dicit Dominus: Ecce eligo levitas de medio filiorum Israël pro omni primogenito aperiente vulvam in filiis Israël: redemptiones eorum erunt isti, et erunt mihi Levitae. Mihi enim sanctificavi primogenitum in terra Aegypti¹⁾. Cognovimus, quia non inter caeteros levitae computantur, sed omnibus praeferantur, qui eliguntur ex omnibus, et sanctificantur, ut primogenita fructuum atque primitiae, quae Domino deputantur, in quibus est votorum solutio, et redemptio peccatorum. Non accipies, inquit, eos inter filios Israël: sed constitues levitas super tabernaculum testimonii, et super omnia vasa ejus astare et super quaecunque sunt ipso. Ipsi tollant tabernaculum, et omnia vasa ejus, et ipsi ministrent in eo, et in circuitu tabernaculi castra ipsi constituent, et promovendo tabernaculum ipsi deponant levitae: et constituendo castra, rursus ipsum tabernaculum ipsi statuunt. Alienigena quicumque accesserit, morte moriatur. Tu ergo electus es ex omni numero filiorum Israël, inter sacros fructus quasi primogenitus aestimatus, praepositus tabernaculo, ut praetendas in castris sanctitatis et fidei, ad quae si alienigena accesserit, morte morietur, positus ut operias arcam Testamenti. Non enim omnes vident alta mysteriorum, quia operiuntur a levitis: ne videant qui videre non debent, et sumant qui servare non possunt. Moyses denique circumcisionem vidit spiritualementem: sed operuit eam, ut in signo circumcisionem praescriberet. Vidit et azyma sinceritatis et veritatis, vidit passionem Domini, operuit azymis cor-

1) Num. 1.